

238 TH. BARTHOLINI

C A P. XXVI.

*Unicornis magnitudo. De unguis Aristoteles excutitur. Cauda Monocerotis. Cornuum color & longitudo varia. Cubitorum mensura. In Cornu varietatis ratio.*

**I**N Monocerotis conformatione primas sibi partes vindicat Cornu ipsum, quod & nomen animali dedit & precium, cujus ideò hæc erit pagina. Expendendæ tamen priùs contrariæ quædam in speciem auctorum voces circa pedes Monocerotis, quibus non parùm dubiam reddere conati sunt veterum historiam. De magnitudine, colore, forma levis dissensio, ab ætate, cœli statu, regionisq̃ue, & alimentorum natura, facilè expedienda. Magnitudinem quidem justo majorem tam cornu quàm feræ commenti sunt *Hebraorum Magistri* more suo vel fabulas vel ænigmata sonantes. Ridiculum quippe est quod prodidit *R. Iuda* in libro